
IN OBITVM ILLVSTRISS. AC REVERENDISSIMI ALEXANDRI FARNESII.

Sanctę Rom. Ecclesiæ Cardinalis Amplissimi.

Herculiani Monicij Presb. Parmen.

ORATIO.



PARMAE. Ex Officina Erasmi Viothi. M.D.LXXXIX.



AD. RAINVTIVM FARNESIVM PARM. PLACENT. ETC. PRINCIPEM SERENISSIMVM.



OCCVPATISSIMVM certe me habet, SERENISSIME PRINCEPS, illud munus,cui tua me SERENISSIMA CELSITVDO, insigni quadam benignitate impellente, praefecit: sed tamen, quae summa est erga tantũ Principem animi mei propensio, non potui non tentare, si quid possem temporis, ei muneri, sine vllo eius detrimento, subtrahere: quo immensum animi dolorem ex re tristissima,quae accidit,susceptum, re aliqua facienda,quae ad praesens tempus pertineret, declararem. Quare, nactus breuissima quaedam interualla, quibus mihi liceret ab ea occupatione respirare; haec in ea re potissimum mihi collocanda esse duxi; quam occasio, licet minus grata, minus iucunda, minus optabilis,offerret.Itaq. oratiunculam quandam in maestissimo funere Amplissimi Cardinalis, ALEXANDRI FARNESII; CELSITVDINIS TVAE Patrui maioris,confeci. Hanc autem cum quadã cupiditate incensus edere,atq. alicuius Patrocinio,vt fit,committere vellem; Ego me ei, qui sanguine illi erat coniunctissimus, rectius multo, quam alij ab ea necessitudine alieno, dedicaturum putaui. id quod sane facio quamlibentissime. spero enim munus licet tenue, & exile tuae SERENISS. CELSITVDINI

ingratum non futurum. quod immortales illius, vtcunq. collectas, laudes contineat: qui FARNESIAE gentis decus fuerit excellentissimum, nulla prorsus vel temporum iniuria obscurandum; vel hominum inuidia, silentio inuoluendum. Vereor autem, ne non satis prospere, ac feliciter ceciderit industria. Sed, vt vt ceteri de re iudicent, non laboro. illud vero maxime; vt res, licet minima, aperte indicet: meum esse erga SERENISSIMAM CELSITVDINEM tuam, sicuti certe est, multo maiorē animum, quam vmquam ex eo munere, quo fungor, vere possit cognosci. Quod tamen munus ego tanti facio; vt vnum ex ijs statuam esse, quae mihi in vita possint votis animi non solum paria, sed etiam ijsdem maiora contingere. & merito quidem. Video enim Principem ijs moribus, qui non solum Principe; sed etiam Christiano Principe digni sunt, ornatissimum. deinde omnes, qui in Illustrissima eius omnem laudem vincente Aula sunt, ac versantur; Principis nutum, atq. acta assidue obseruantes, ijs tantum moribus in quibus summus honos, & summa laus eluceat, summopere esse cohonestatos: omni studio ea vitia deuitantes, quibus Principum Aulae, ni mature prouideatur, solent non sine grauissima Dei iniuria, & proborum hominum offensione, addo etiam Principum dedecore infici, & commaculari. Qua ex ratione tam præclara, & tam laudabili consilio, quin ea, quae iam orta est laus, quaeq. quotidie augetur, clarissimum tanti Principis nomen immortalitati tandem sit consecratura, optima quaedam me non sinit ratio dubitare. Quod superest CELSITVDINEM tuam SERENISSIMAM suppliciter, ac demisse oro: non vt ex tenui munere animi colligat mei tenuitatem; sed vt, quod verissime fieri potest, statuat; illius tantam esse magnitudinem: vt nec, si etiam amplissimum, maximumq. fuisset; eo genere, quantus ille sit, vmquam potuerit ostendi. Gratū illud tuæ CELSITVDINI SERENISSIMAE esse, etsi de re minus grata, libenterq. accipi, vt libentissimo animo offertur, ac dedicatur, vehementer cupio. Vale PRINCEPS SERENISSIME, Principum Italiae decus singulare.

SERENISSIMAE CELSITVDINI TVAE.

Vnus omnium maxime addictus, deditus, obstrictusq.

Herculianus Monicius.

ORATIO.



INSIGNEM certe calamitatem, & incommodum sane maximum gemitibus, querellis, lamentationibus grauissimis deplorandum nobis attulit, atq. adeo alijs praeterea quamplurimis Illustrissimi, & Reuerendiss. Cardinalis, ALEXANDRI FARNESII, optimi, clarissimiq. Principis, omni laude sine vlla exceptione ornati, obitus. qui, quo ille maior, quo insignior; qui maximus, maximeq. insignis fuit; eo grauius, atrociusq. omniũ perculit animos, eosdemq. attonitos magis, magisq. obstupefactos reddidit: vt magnos, & inopinatos casus magna semper mentis perturbatio, magna animi commotio solet consequi. O diem, quo tanto viro huius lucis vsura adempta est, sane acerbissimum. O diem molestiarum, aerumnarum, & maximorũ dolorum, quos propemodum nulla ratio, nulla temporis longinquitas adimat, aut minuat, plenissimum. qui & multis bonis, iucundisq. reb. quib., eo viuente, quamplurimi fruebantur, finem imposuisti: & iniucundis, ac turbulentis, quae, eo morte ablato, paratae sunt, atq. adeo imminent; dedisti principium. Quam infelix, quam tristis, quam infestus, quam ingratus est aduentus tuus, qui aduenieus boni nihil attuleris, sed id boni potius, quod maximũ, amplissimũ, & cumulatissimũ habebamus, crudeliter abstuleris. dum tãtum virum, tantum Principẽ, tantum Cardinalem eripuisti, virum optimum, Principem Illustrissimum, Cardinalem amplissimũ; plane nec viris vllis bonitate; nec Principib. generis splendore, & nobilitate; nec Cardinalibus amplitudine, & gloria cedentem. Sane lugendum, flendum, gemendum. Nam quem vnum mors ademit, licet aetate prouectum, non puto eius similem mille annorum spatio repertum iri. Et, si lugeamus, si plurimis lachrymis perfundamur, si cuncta querellis impleamus, si nostris maestis vocib. caelum, terra, aer, omnia deniq. personent: quis id miretur? quis reprehendat? quis obiurget? nemo certe, qui nouerit, quanti vir ille pretij, quanti Princeps ponderis, quanti momenti Cardinalis fuerit, & quã vnus omnium instar esset, cuius nos ad haec prouocet, incitet, atq. impellat ab omnibus deploranda amissio. Miretur quidem, ac nos vehementer, iusteq. reprehendat: si, cum caussa non esset, cur ita faceremus; videret tamen, id a nobis immodice prorsus, immoderateq. fieri. Vtrumq; enim iusta non caret reprehensione, si, & vbi necessitas fletum non exigit, ibi fleas: & rursus ibi cesses, vbi vel ratio ipsa ad fletum inuitat. Quae autem potest esse iustior, magisq. conueniens caussa, & ratio deflendi; quam, quod a nobis paullo ante maximum, atq. incredibile damnum nullo vnquam tempore, nisi Deus nos denuo respiciat, resarciendum, sit factum? quod quotidie magis in posterum sentiemus, & cognoscemus experiendo; quam dicendo vlla ratione ex-

plicare possemus. Deum immortalem, quam sunt humana omnia valde incerta? quam eadem valde fluxa, & caduca? quam item infida? Ac, cum haec ita sint, quid caussae est, cur iam ipsi nostram hanc tam infelicem, tamq. miseram nõ valde queramur, ac deploremus conditionem? Vix enim ortus est homo, cum statim ad mortem cursum instituit. vix illi aliquid ex sententia, & voluntate euenit; cum illico eius animus ingentibus incipit stimulis angi, & metu discruciari: ne aut id, quod consecutus est, non diuturnum sit futurum, aut ipsi citius etiã, quam ceteris solet natura accidere, vitae munus eripiatur. Non enim dici potest, quam multa nos, & grauia vbiq. non solum aperta, & oculis exposita; sed etiã occulta, &, quae quis numquam mente, & cogitatione adsequatur; circunstent pericula. Patet id multorum exemplis, qui periculis ijs, quae sunt perpessi, & rebus aduersis, quas sustinuerunt, admonent: reb. omnibus humanis, & maxime prosperis, ac felicibus hãc dictam esse legem, numquam vt consistant, & firmae, ac stabiles sint: sed mutationem, atq. exitum quodam modo festinanter, ac propere quaerentes; in dies fluant, ac minuantur: nec laetitiam, si quam forte pro sua ipsarum proprietate, & natura afferant; hanc velint cuiquam esse diuturnam. Quam multi enim vix fortuna secundiore fruendi viam sunt ingressi; cum illa, re aliqua eis, quae iter impediat, obiecta, interrumpitur? Multi paullo quidem longius progrediuntur: verum, quo tempore potissimum eis vita opus esset, cũ vtilitati, & commodo partim suorum, partim etiam aliorum, & plurimum possent, & maxime vellent consulere: tum exoptatissimo, ac maxime necessario vitae munere, atq. vsu priuantur. Nam quo vmquam tempore magis oportuit, Cardinalem viuere; magisq. eius vita, ac tamquam patrocinium fuit necessariũ: quam hodie: cũ Domus Farnesia, *primis illis praesidijs, quibus firmissime nitebatur, destituta, magna ex parte, tamquam maxima, & fortissima trabe ruinosa moles; eius vnius humeris fulciri, & sustentari videbatur. & tamen tantus vir, tam graui auctoritate, & sapientia, tanta virtute, tam insigni potestate praeditus, ereptus est, atq. e viuis sublatus? Quis igitur non doleat? quis non ingemiscat? quis non queratur? doleant quidem, ingemiscant, & querantur ceteri, quos adspectus tantum illius conseruare, & memoria recreare poterat. doleant vniuersi, quibus in eo & firmum in aduersis praesidium, & singulare in prosperis ornamentum erat repositum. quis enim non magna sibi ex tanto Principe, & Cardinale tam admirando promisisset? poterant multa ex eo sperare etiam ignoti: adeo eius opera patebat omnibus, adeo ad omniũ necessitates liberalis eius animus propendebat. At vero noti, &, qui erant quasi in eius tutela, quam ipsum, necessitate aliqua oppressi, non frustra adire, & eius opem implorare consueuerant? quam facile eius intuitu is, cuius nauis secundo vento ageretur, omnia sibi de commodioris, quo vteretur, cursus securitate spondere; vel, si etiam agitaretur, ac fluctuaret aduerso, de incommodioris quoq., quo periclitaretur, liberatione poterat polliceri? Quare merito quidem doleant hi omnes, tamquam nautae,*

quorum

quorum ex oculis stellae, quarum prospectu nauigationis cursum regerent, euanuerint: vel quorum Nauis gubernaculum sit fractum. Sed tamen dole tu, in primis, Parma, ingemisce; & voces effunde in dies alias alijs maestiores. Nā vna, quae reliqua erat, ex columnis illis tribus magnis, admodumq. firmis, & robustis; quibus nixa semper fortis, & cōstans stetisti, & floruisti: quibusq. ceterorū, qui felicitatem tuam nossent, paene inuidiam paterere; cecidit, corruit; ac penitus confracta est. At quae columna? quae, inquam, columna? illa, illa: qua stante, duarum illarum, quae proxime fractae sunt, quibusq. satis tuta nitebare: ruinā, & casum non sentires. Quantum tibi de eo, licet longe abesset, poteras, Parma, promittere? quam multa ex eius ope, studio, & auxilio sperare; &, sine vlla dubitatione exspectare tibi licebat? non enim consueuerat ille, ac ne poterat quidem, cum ab eo tanquā ab vno FARNESIORVM *Principum, atq. Heroum maximo pēderes, non de te assidue cogitare. non omnia, quantum viribus humanis fieri posset, prospera conciliare: vel, si quibus forte tacta fuisses aduersis, vt pro vicissitudine temporum, & rerum commutatione fit nonnumquam; ea omni cura, conatu, & studio amouere, expellere, & propulsare. Ille te, si tua tempora laeta, & secunda erant, ornabat; ac, prope dixi, felicem reddebat: vel certe, vt laetitia, & fortunatus status, in quo eras; maior quodam modo, & iucundior videretur, efficiebat. Si etiam turbulenta fuissent; quasi sol clarissimus densas, & obscuras nubes dissipans, ac disijciens, omnia discutiebat, animisq. omnium exhilaratis; quietem exoptatissimam, carissimamq. lucem aduehebat. Et quis tanti viri, tanti Principis, tanti Cardinalis fultus praesidio, non et haec, & his plura sibi bona promisisset; in quo omnium temporibus inseruiendi, vbi eius requisita fuisset opera, par fuit semper cum pari facultate, & potestate coniuncta voluntas? Iure igitur optimo* ALEXANDRI FARNESII *cū summi Principis, tū Amplissimi Cardinalis interitu, qui ita natus, ita in omni vita cōparatus fuit; vt plura semper re praestaret, quam quis vmquam votis, atq. animo concipere esset ausus: quiq. iam optima quaq. re, & christiana, & Deo in primis, atq. hominibus grata exercenda, omnes eodem studio occupatos longe post se reliquisset: iure, inquam, tanto damno luget Parma, luget Placentia, luget Roma ipsa, lugent vrbes reliquae, oppida, atq. alia, quaecunq. vel ei fuerunt subiecta; vel etiam alicui e fratribus, Principibus; vt nouimus, atq. experti sumus, & egregijs, & plane omni re, vel viro, vel Principe, addo etiam egregio viro, & eximio Principe digna, insignibus. Et qui temperent a lachrymis? qui fletum cobibeant? qui mitigent dolorem? qui Cardinalem, tantum virum, tamq. singularem Principem nouerunt? qui eius clementiam, qui facilitatem, qui iustitiam, qui humanitatem, qui prudentiam experti sunt? qui incredibilem in ea, quae ad Dei honorem pertinēt, munificentiam, qui inauditam in Christi pauperes liberalitatem cognouerunt? qui cetera omnia laudanda, atq. extollenda, quae in eo cumulatissime, atq. cum omnium admiratione exstiterunt, ornamēta, vel obseruauerunt, vel de ijs, quibus*

 ea ob-

ea obseruare, ac praesentibus intueri licuit, audiuerūt? quin etiam, qui non, si vmquam, nunc maxime lachrymis, fletui, dolori laxent habenas: cum intelligāt, hominem eum mortem oppetiuisse, cuius nec superior aetas similem viderit, nec sit fortasse etiam visura posterior; Ex quo aperte omnes confiteri, palamq. praedicare possumus; cum tantis hisce, tamq. diuinis fuerit virtutibus ornatus; recte, ac prorsus laudabiliter, nec sine occulto Dei consilio, & voluntate factū fuisse; vt aetatis initio fuerit in sacrū Cardinaliū Collegiū cooptatus ab Auo fel. mem. PAVLLO III. Pontifice, vt supremi honoris gradu, Sūmo, ita rebus maximis, & praeclarissimis in Pontificatu gestis vere Summo, quē haec FARNESIORVM familia hodie oīum, quae in toto Orbe nobilitatis ergo summis laudibus celebrentur, Illustrissima; ac prope iam extra Orbis terminos cognita, & cantata, immortalis gloriae, & nominis, quod nulla omnino temporum longinquitas deleat; habet auctorem. Atq., id ab eo ita esse factum, licet opinari. quod, qua erat, praeter ceteros, ingenij sagacitate, qua animi solertia, prouideret, fore: vt ea toto vitae suae tempore praestaret, quae ceteris magnam excitarent admirationem: ei, viuenti, beneuolentiam omnium conciliarent: vita functo gloriam adsciscerent immortalem: Quae omnia ita prorsus euenerunt. Nam cum pro summo splendore generis numquam alia cum animo suo euoluerit, ac meditatus sit; quam, quae eius Nobilitati responderent, qua maius, atq. Illustrius nihil esse poterat: tamen multo magis ea semper in mente illius versata est cogitatio, vbi vidit, cum maxima Nobilitate iam maximam esse coniunctam dignitatem: atq. ex ornamento tam admirabili stimulos sibi ad optima quaeq. cogitanda, & efficienda additos esse acriores. Itaq. eam tantam, & tam grauem ita sustinuit personam: ita praeclare, ita laudabiliter in omni re, quam ratio ipsa ab eo poscebat, sese pro tam sublimi honoris gradu semper habuit: vt quod Pontifex ipse vel sibi, vel alijs de consilij sui euentu in tanta ei, tamq. honorifica dignitate concredenda promisisset: is diligētissime semper, felicissimeq. praestiterit. is enim plane fuit; ea bonorum morum forma perpolitus; eo laudabilium institutorum genere decoratus: sic suas omnes in omni vita instituit, atq. ordinauit actiones: vt eius nec mens vmquam a recto Sum. Pont. consilio aberrarit: nec ab optima ratione, & institutione actio deflexerit. quae ratio agendi, quae vitae, ac morum constantia eiusmodi in eo fuerunt: vt laude licet amplissima, & cumulatissima celebrentur, ac commendentur: non tamen ea vmquam meritorum illius magnitudinem, & excellentiam possit adaequare. Atq. hoc ita ab eo factum fuisse, probant, quibus summa cum gloria semper; nec mediocri cum honore interfuit, sacra Consistoria, quae quinquaginta, & quattuor annorum spatio a pluribus summis Pontificibus amplissimisq. & omni laude florentissimis Cardinalibus, vt variarum, & magnarum rerum necessitas tulit, habita, & celebrata fuerunt. Porro in his totidem annos, atq. eo etiam amplius versatus est, & quidem ita: vt in eo munere obeundo, & in ijs praestandis, quae ab eo, pro magnitudine eius

personae exigebantur, excelluerit semper inter omnes, qui aderāt: ne c vmquam, qua erat prudentia, & iudicio praeditus: qua commoditate omnia agebat: alicui dederit secus de se, quam oportuit, suspicandi, aut loquendi occasionem. Quod cū ita sit, cui est, aut ēt esse potest dubiū, quin magni aestimauerit is, qui nulla in re fallitur, aut falli potest, Deus; cum ibi tandiu esse; & ijs, quae ibidem agerētur, interesse: sic, ut in Augustissimo illo loco nihil prorsus, nisi eo praesente, tractaretur, ac decerneretur? Hoc enim, vt plane, quod sentio, aperiam: diuinitus factum arbitror fuisse. Atq. in hanc sententiam ea adducor ratione, quod temporis spatium, quo dignitatem illam supremae proximam sustineret, atq. administraret; video illi multo longius fuisse concessum; quam legatur, cuiquam ex eo ordine vlla fuisse aetate contributum. Eminebat autem ibi, &, si qui aderant, quorum valde enitesceret prudentia in ijs prouidendis, quae ratio negotiorum requireret: hos facile, vel superabat, vel adaequabat. si in genere etiam responsorum, & in sententia apte, accommodateq. dicenda excelluissent: vt scimus, ac sæpe videmus, alios alia re præstantes: nihil eis concedebat. si aliud quidpiam vt ageretur, necessitas postulasset: is erat, qui ceteros, si qui forte discrepassent, ac dissensissent: nullo negotio ad meliorem posset trāsducere sententiam. adeo vel natura vel industria, vsu, cōsuetudine insignis, vel omnibus potius, quae paucorum laus est, eximius, praestans, planeq. singularis exstitit. Et, vt ne dubitetur, quidquā, nec de hoc genere, nec de ceteris, perquam multis, quae de eo praecipue dici possunt; facit id, quod notius multo est, magisq. constat inter omnes, qualis, quantusq. fuerit, in omni re, quae Principe, quae Cardinali, quae summo Principe, quae maximo, atq. amplissimo Cardinali erat digna; quam vt nunc ad ea declaranda, atq. adeo ad explicanda omnia, quæ insignia in eo, & maxime illustria, atq. admiranda fuerunt, cuiusquam opus sit oratione. Vbi enim facta clarissima atq. apertissima sunt, ibi qua ratione potest esse, qua illa ostendantur, oratio necessaria? Haec quaerantur ab ijs, qui, in vita dum essent, nihil ipsi sibi, vnde a ceteris cognoscerentur, quaesiuerunt: memoria eorum celeberrimis, magnoq. opere laudandis rebus ad nullam hominum aetatem propagata.

CARDINALI FARNESIO *verbis, & praedicatione nostra, aut alterius, quo partes eae admodum insignes, ac perhonorificae illustrentur, quibus in vita mire; alundeq. exornatus fuit, non est opus illis ipsis rebus, quas excellenti cum laude, & vna omnium approbatione gessit, cum mirifice prodentibus. & nomen egregium, ac singularem famam passim per orbem terrarum quotidie magis ac magis diuulgantibus, atq. aeternitati consecrantibus. Vt enim clarissimae solis luci nihil addas; si, dum magis fulget, ac splendet; per exiguum aliquod, quo eum indices, lumen proferas: cum solis lux tanta sit, vt & per se splendeat, & omnia, quae adijciantur, lumina longe sit superatura. & propemodum obscuratura: Sic quae egit Cardinalis sane multa, vel potius innumera, eo vsq. præclara, & illustria fuerunt, atq. adeo sunt, vt ad omnium au-*

res,

res, & notitiam, non solum qui aderant, sed etiam qui eum numquam de facie nouerant, quam facillime sua ipsorum virtute, & clarissimo splendore, nullo orationis a quoquam adiuta lumine peruenerint, adeoq. eorum mouerint animos, ut omnes admiratione obstupefacti videantur. Et hoc quidem tempore in toto orbe terrarum (non oratorie, sed vere loquor) nullus est, qui magis, quam CARDINALIS FAENESIVS *cognoscatur, ametur, colatur: ac cuius nomen, & virtus, quam illius, vel magis in animis hominum habitet, vel frequentius eisdẽ in ore versetur. Vix sol oriens sua admiranda luce, & splendore, omnia statim illustrante citius in Oriente cernitur; quam Cardinalis, re aliqua maiore peracta, nusquam non cognoscebatur, re ipsa eius nomen, & laudem quocumq. terrarum illico deferente. Nam quidquid agebat, non humile, & abiectum; non obscurum & vile; non contemptum, & ignobile: sed amplum, et insigne; illustre, et magnũ; suspiciendum, & nobile semper fuit. Itaq. quoties in publicis occupabatur muneribus tantum ea, quam magno cum decore semper, & omnium admiratione sustinuit, persona dignis, talis fuit: vt omnibus esset admirandus, suspiciendus, & omni excellentissimae, ac praestantissimae laudis genere celebrandus. Qualis etiam plane exstitit in legationibus illis honorificentißimis, quas obijt non semel ad Imperatores, ad Reges, & ad alios huiusmodi Principes supremi honoris sibi a Summ. Pont. commissas. at quo Põtif.?* PAVLLO *III. Auo quidẽ eius, qui certe ad honorandum eum, quia erat propinquus, facile natura propendebat: sed eodem tamen sapientissimo viro. qui, nisi, pro eo, quo mirifice excellebat, iudicio cognouisset, quae ad eas res necessaria erat, illi inesse virtutem: numquã commisisset; vt honorem, qui virtuti dandus erat, propinquitati dedisse videretur. Nouerat enim in maximis, & grauissimis huiusmodi muneribus mandandis non propinquitatem, aut aliam priuatam affectionem esse attendendam: sed eius, qui ad agendum aliquid deligitur, personae merita spectanda, & praeclaras, atq; honorificas partes obseruandas. In his autem legationibus quomodo se se tractauerit, quanta cum laude, atq. admiratione Regum, Imperatorum, ad quos missus erat, & aliorum, qui forte ibi adfuissent, summorum virorum, omnia peregerit: vix vlla quamlibet grauis, & plena, ad eam rem omni ex parte docendam satis futura est oratio. Ego quidem non dubito, quin horum omnium futura sit aeterna memoria; eamq. gloria, & laus, quae semper floreat, omnemq. posteritatem adaequet, consequatur. Et, cũ insigni esset, vt nemo nescit, nobilitate; si quis alius in Italia, atq. etiam extra Italiam eo nomine censetur: cũ gradum proximum a summo Pontificatu obtinuerit: cum ceteris virtutibus, quae eum decebant, multisq. praeterea alijs, propeq. infinitis laudibus esset apprime ornatus, & insignitus: quid de litterarum scientia, quid de praeclararum artium cognitione dicemus? quod, cum a vitae probitate, & morum sanctitate discesseris, decus alterum est, & idem, vt nemo non confitetur, singulare? An has ei defuisse, & ceterarum liberalium artium, quibus eius dignitas, & maxima nobilitas*

litas

litas decoraretur, scientia eum caruisse credemus? Ego vero haud patiar mihi persuaderi, noluisse eum ceteris, quibus abundabat, hoc quoq. praestantissimum addi ornamentum. non enim me fugit, ac ne ceteris quidem, opinor, obscurum est: eum voluisse semper, virorum virtute insigniter praeditorum Aulam suam esse vel Domicilium, vel Receptaculum. ita vt tales viros cum reciperet, non posset ipse non eorum, & esse quam simillimus, & consuetudinem vehementer expetere. NAM facile hominum animos, vt morum, ita etiam studiorum similitudo coniungit. Hos autem adeo habuit caros, adeo fouit; vt, si quae ei in dies offerebantur occasiones, quibus eos pro meritis ornare posset; haud vmquam passus sit; eas sibi e manibus vel a ceteris eripi, vel negligentia etiam sua effluere. sed, quod virtuti omnia deberi sciebat, alios Episcopali dignitate insigniendos, alios ad Cardinalatus fastigium prouehendos, alios alijs honoribus meritorum rationi, ac magnitudini paribus exornandos curauerit. Virtute ipse non mediocriter praeditus, quos nouerat, ea egregie excultos horum se Patronum, Educatorem, Altorem, Patrem, & eum deniq. cuius ope, & adminiculo illi tamquam manu prehensi, ad dignitates, ad gradus, ad honores promouerentur, volebat esse: sic, vt haec quoq. ceteris eius laudibus, quae certe plurimae, & maximae sunt, non immerito sit adijcienda. sicut nec silentio illud fas est inuolui: Collegijs, vbi optima optimae indolis adolescẽtium ingenia ad spem perfectae eruditionis, & profectus in praestantissimis quibusq., ac liberali homine dignis artibus alerẽtur, eum fuisse Praefectum: & non paucos suis sumptibus in eis educandos, atq. erudiendos diligentissime curasse. Nec certe in ceteris, quae priuatim ad alicuius commodum a se fieri possent requisitus, minus enituit. nec sane est, quamobrem cuiquam ea de re dubitare, veniat in mentem. Nam in omni vita aeque haec, quae ad priuatam alicuius vtilitatem pertinerent, atq. illa, in quibus cõmunis, & publicae vtilitatis ratio inesset, illi magnae curae fuerunt. nimirum existimanti id, quod res est, non, vt sua tantummodo commoda sequeretur; tantam illam, tam grauem, tam illustrem, tanta auctoritate munitam sibi ab Auo, Summo Pontifice, diuini numinis impulsu, & tributam dignitatem, & impositam fuisse personam: sed, vt aliorum etiam quoad liceret, & cõsuleret commodis, & necessitatibus inseruiret. quae vna, & praecipua ratio, ac caussa est; cur Deus in rebus humanis voluerit esse Principes. Non enim suarũ modo debent, ceteris neglectis, rerum studiosi esse; sed aditi, & rogati, ad necessitates etiam eorum, qui rebus aduersis vrgentur, ac premuntur, sublcuandas, quatenus pro dignitate id illis facere liceat, oculos inflectere, & animum conuertere. Secus, quod fuit Dei consilium, quod idem spectauit, dum illis imperium, potestatem, seu principatum tribueret, vel committeret dignitatem: id non videtur vllo modo effici. quae res an in grauissimã recidat, ac redũdet Dei offensionẽ. nemo est tam caecus, quin videat; tam hebes, quin nesciat; tam excors, quin intelligat. Quod vt optime intellexit Cardinalis; ita optime etiam exsecutus est, Plane vt eius erat, qui Dei

munera

munera vellet, a se recte, fideliterq. administrari. Quis enim vmquam, aliqua necessitate coactus, ad eum adijt opem imploraturus, qui non eius admirandam senserit, atq. expertus sit humanitatem? qui non facilitatem suspexerit? qui non iam, quod optauit, consecutus; iustitiam, & aequitatem perhonorifica laude sit prosecutus? Hic ego quam facile possem multos enumerare, & quodam modo in medium proferre. qui, cum ad eum accessissent, rei alicuius ab eo, vel ab alio, eius opera, obtinendae caussa: ita recesserunt; vt occasionem praedicandae, atq. extollendae benignitatis nacti, haud vmquam laudibus ei tribuendis finem imposuerunt. Verum ego hic neminem commemorabo: nullius nomen exprimam. quod & nimis longum id esset: &, si tantum nuda eorum nomina exponantur, ei muneri tota oratione non sim satisfacturus. cum interim eos putem, qui penes eum oĩa benigna, & copiosa cognouerunt; non esse partes officij sui in memoria benignitatis conseruãda neglecturos; ac, quod secundo loco ab eis exigitur, qui alicuius beneficijs sunt, saltem eorum commemoratione, & praedicatione gratum, memoremq. animum in omni vita ostensuros, ac testaturos. Quod quidem eo magis facere, eos conuenit: quo minus etiam sperare debẽt; se plurimis, & maximis eius meritis posse eo pacto satisfacere: ne dum, vt confidãt, futurum fuisse; vt, si adhuc vitae vsura frueretur, beneficiorum illius amplitudinem, & animi magnitudinem, omni beneficio maiorem, gratia referenda, adsequerentur. Sed haec multo sunt minora, multoq. pauciora; quam, quae pro ratione eorum, quae honorifice admodum, glorioseq. egit, essent dicenda. Quamquam quid est caussae, cur ego plura conari debeam? cum si tantum rerum capita mihi exprimenda proposuissem; vix integer dies vnus, itemq. alter ad ea cõplectenda sit satis futurus. quod efficit, longe vt sim ab ea mente, mihi vt persuadeam; fore meam, uel alterius orationem, etiã si plenior illa sit; tantam, ac tam copiosam: vt eius rebus commemorandis, atq. explicandis; & laudibus, quae ei propterea debentur, celebrandis, ea par sit futura. nam quo plura explicantur; plura superesse videntur, explicanda. Itaq. ego & obruor multitudine, & magnitudine obstupesco, quarum illa animum, & memoriam, haec omnem, quamlibet vberem, & plenam, longe magno interuallo, dicendi superat copiam. Vir enim ille vere Amplissimus agendo identidem multa potius omnibus praeripuit, quam cuiquam praebuit, ea quantumuis longa oratione persequẽdi facultatem. Quare dicam, quod mihi sine vlla, vel inuidia, vel reprehensione videtur de eo dici posse. Obijsse, dum ille obijt, generis humani Patronum, quando suum nemini, quantum quidem fas ei fuisset, denegabat patrocinium. Obijsse saeculi nostri gloriam. nec a me hoc gratiae caussa, verum merito, verissimeq; dictum fuisse, putatote. Quis enim eiusdem amplissimi, ac numquam satis digne, satisq. pro meritorum ratione laudati ordinis, cuius ille pars maxima, & diu, & singulari cum laude semper fuit, non idem sentiat? quis non idem ingenue confiteatur? quis eundem tam multa tanta animi alacritate praestantem, &

effi-

efficientem;nec ab officio huiusmodi, vlla vnquam, vel defatigatione retardatũ, vel deterritum difficultate non suspiciat? non admiretur? non concelebret? Ausim dicere, ex summis Pontificib. ex Imperatorib. ex Regib. ex Ducib. itemq; ex alijs valde insignibus viris vix vnum exstitisse, qui laude, qui gloria, qui hominum caritate, & beneuolentia, qui nominis celebritate, & fama eum adaequauerit. Ego quidem, vere vt dicam, neminem noui; qui eo, multis ab hinc annis, gloria, qui honore fuerit instructior; ac, quod ad id genus attinet dignitatis, quã ornatus erat, vel potius cui ipse ornamento erat, uixerit omni laude cumulatior. Atq. haec omnia testantur multae partim infimorum, & mediocrium; partim in primis Illustrissimorum virorum familiae: quae, grauissimo eius casu audito, dolore ingenti, sensibus intimis ob eam rem affectae sunt. vt certe mira tantae personae condicio, ac status ferebat. atq. id quidem, quotidiano, & vsitato vestitu abiecto, statimq. lugubri, qualis tali tẽpore sumi solet, assumpto; maerore, & luctu obsitae, significarũt. Testatur Parma, cui ex re tã tristi luctus longe, quã alias vnquã, accidit maior. Testatur idẽ, opinor, quib. decet signis, Placẽtia. Testatur vrbs Roma, quae nullius vnquam, vel ciuis optimi, vel carissimi filij, vel quauis dignitate praefulgentis viri morte, maiorẽ, ac diuturniorẽ ostendit maestitiam, nec lachrymas effudit, ac sparsit copiosiores. Testantur etiam permultae ciuitates, quae ea de caussa eodẽ modo affectae, luctum sibi indixerunt. Testatur Italia tota, quae tantam iacturam grauissime tulit. Testatur demum Orbis terrarum paene uniuersus, qui, eo e viuis sublato, conterritus modo quodam, consternatusq. est. Prope est, vt dicam: FARNESIAE domus, dum ille obibat, exstinctum esse lumen; quo antea clarius nihil erat: & splendorem, quo nihil illustrius, obscuratum. Tantum saepenumero in vnius viri vita, & auctoritate momenti, tantum ponderis est positum. Sed, qui rebus consulit humanis, Deus, is, ne id penitus eueniat incommodum, satis mature prouidit; estq. in omni aetate, vt infinitae illius sapientiae visum fuerit, prouisurus. Scimus enim, cum ita gerere omnia; itaq. eadem administrare; vt numquam fallatur. errare quidem humana possunt iudicia; vt certe saepissime errant. at idem nec vllo modo in Deũ cadere; nec de eodem vllo pacto dici potest. coepit ille Domum hanc diligere, quod iam non semel signis minime paucis, ijsq. non vulgaribus ostendit: minime etiam dubitandum est, quin eodem amore, eodemq. constantia adhuc eandem foueat, quidquid incommodi quattuor annorum spatio, passus sit, euenire. Ac, quare minus dubitem, quin ita sit futurum, ea est caussa, quod non video, quidquam eiusmodi esse commissum, vt hãc ideo perpetuae obliuioni tradere debeat; aut prorsus velit abijcere. contra potius plurima sine intermissione fieri, animaduerto: cur eam extollendam, atq. ad omnem aeternitatem felicissime prouehendam, existimem. Quare non est, non est, inquam, eam despecturus, aut abiecturus. sed potius in dies effecturus maiorẽ, et ad maiora prouecturus. video enim, eius ductu ALEXANDRVM hodię Ducem nostrũ, Ducis OCTAVII, proxime vita

functi,

functi, sed perpetua memoria digni, qui CARDINALIS *frater erat; filium,* PHILIPPI REGIS HISPANIARVM *nomine bello, quod contra hostes nominis christiani, duodecim iam annos, & aliquanto amplius geritur; Praefectum Generalem, praestantissimum sane, & inuictissimum ijs, quae pro catholica fide ad hanc vsq. diem felicissime gessit, eo iam esse prouectum; vt ei ad immortalem gloriam nihil desit. Quae res fidem facit, planeq. confirmat, breui fore; vt ad id decus, eumq. honorem perueniat; quo inuidiam superet: atq. eodem ceteris, non solum perueniendi; sed etiam adspirandi spes adimatur. Quae omnia nemo ambiguum potest, aut debet habere; quod ei exploratissimum est, quodq. confitetur; a Praepotenti Deo ei esse concessa. cui, vt semper antea, ita etiam hodie addictissimus, ea in primis refert accepta. Video etiam, Ducis filiũ,* RAINVTIVM, *Principem nostrum: vbi ipsi quoq. par animo, quem maximum gerit, oblata fuerit occasio: non generi suo quamillustrissimo fore dissimilem, sed omnino esse, quae Patrem, quae Auos, quae Proauos referant; Deo eum vocante, ac promouente, quamplurima editurum. idq. ita esse facturum; vt non eorum gloria contentus, nouam ipse sibi gloriam, eximiam, atq. omnium hominũ memoriam adsecuturam, sua cuiq. suorum relicta, comparet, atq. adipiscatur. Quin etiam Principis frater,* ODOARDVS, *quae se digna sunt, futurum est; vt Dei instinctu, & intelligat; &, cum iã intellexerit, eodẽ nunquam eum deserente, exsequatur: Auita, paterna, fraterna, sed in primis* FARNESII CARDINALIS *gloria eius animo continenter obuersante: eundemq., vt Themistoclem Miltiadis trophæa quiescere non sinebant, dies, noctesq. excitante. tãdem vt, quem amissum gemimus, se ipsum nobis alterum ei parem, consimilẽ, geminũ reddat, efficiatq. vt nos eũ, quasi rediuiuũ, intuentes; omni maerore, luctuq. abstersо; perfecta quadã, atq. omni ex parte cumulata laetitia perfundamur. Sed, vt ad rem redeã; ceteris tãtum damnum vel suum, vel aliorum lugentibus, &, propemodum dixi, Generis humani delicias sublatas deplorantibus: an existimandũ est, interim Collegium illud sacrum Cardinalium, quod, ab eo semel tantum ornatus, ipse quotidie plus plusq. ornabat; tanti incommodi, & maximi luctus expers fuisse? non ita: sed contra potius, maximum illi luctum eius morte, & grauissimum contigisse detrimentum; existimandum est. Nam sunt quidem in Sacrosancto illo Coetu, qui nulla non optima re excellant, quamplurimi. ita vt, siue probitatem quaeras, non desint, qui probitate praestent: siue aequitatem, & iustitiam velis; iustiores fortasse, & aequiores illis nusquam reperias: siue prudentiam, quae humanae vitae dux est; & omnium, quae agunt homines, certissima, & numquam fallens regula, cupias; siue doctrinam, sapientiam, &, quaecunque nobilissimo hoĩe, atq. illustrissimo viro digna sunt, malis: videas ibi viros tantos, ac tales, vt ijs alios rebus hisce maiores, ac praestantiores, non facile vsquam nancisci queas. Sed tamen cum tales, tãtiq. sint, qui ordinẽ illum, omni laude cumulatum, obtinent: qualem tandem, quantumq. virum fas est dicere,*

Cardi-

Cardinalem fuisse? cui semper ab illis primas datas fuisse, non ignoramus? non est, quod quisquam id neget. alioqui non deerit numerus paene innumerabilis sapientum hominum, qui eum impudentissimi mendacij coarguant. Fuit enim is inter tot, tamq. excellentes, & maxime insignes viros, laudem omnem vincẽtes; tamquam Coryphaeus. ita vt Collegium illud Sanctum tantum perdidisse dici possit, cum graui morbo absumptum Cardinalem vidit, quantum perderet Mundus, si, quem inter Naturalia omnia maximum habet, & maxime necessarium, solem ipsum perderet. Vt enim ille inter pulcherrima quae plurima, Dei manu facta, habet Mundus; pulcherrimus apparet, ac cernitur, omnium, qui verũ sensum habent; mentem, atq. animum ad sui admirationem vehementer excitans, ac transducens: sic Cardinalis, nemine vel verbis refragante, vel iudicio animi dissentiente, inter omnes, quotquot, & qualescunq; essent, in loco illo perhonorifico ac perillustri, pro multiplici eorum genere, quibus natura eum, industria adhibita, insigniuit; laudem omnium maximam obtinebat. qui etiam ijs, quae iam adeptus erat, illustrissimis ornamentis non contentus; plura in dies singulos adipisci, & cumulatis cumulum addere conabatur. Nihil veritus, ne ea omnia, in quibus laudis seges, ac materia esset, se se non essent dignissima. & eo magis iudicaretur de bona mente, animoq. ad ea mire propenso, quae personae, quam sustinebat, responderent: si se ipse frequentem, & assiduum in omni honestarum, & laudandarum rerum genere praestitisset, ac praebuisset. Itaq. hoc praeclare admodum, magnaq. constantia fecit. vt iam nihil supersit aliud, cum omnibus ijs, quae mirificam illius nobilitatem, vere in toto Orbe singularem, decerent, abunde esset ornatus; nisi vt, quae magis sunt laudanda, magisq. exercenda; itemq. nobis, vbi hinc Dei iussu pie migrauerimus, valde profutura: in ijs etiam incredibili studio, & christiana pietate elaboraret. Ea autem cum multa sint, duo tamen mihi esse videntur maxima, atq. omnium maxime necessaria. quam doctrinam a Christo domino traditam, ex Euangelio habemus, primum vt ipsi in ijs frequentiores simus, sollicite q. ac magna cura versemur, quae potissimum ad Dei amorem, & ad eius cultum pertinent augendum, & amplificandum. deinde ad proximi vtilitatẽ, quae spectant, ac referuntur; haec, vt ex eo ipso Euangelio habetur, numquam negligamus. sed accurate, diligẽterq. efficiamus. inquit enim: Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto, etc. & Proximum tuũ sicut te ipsum. Duo haec, qui veluti scalarũ gradus sunt omnium primi, & maximi; quibus in Coelum nos peruenire vult Deus, quã studiose? quã propense? quã pie? quam demum ardenter? ac continentur, ad supremũ vsq. vitae diem excoluit? Haec, & si non sunt, qui ignorent, ita nota, ita illustria, ita omnibus perspecta, ac cognita sunt: tamen, quia, quae grata sunt, aliquando etiam, & iucunde solent commemorari, & cõmemorata libenter, & cum voluptate audiri: non grauabor de his quoq. aliquid dicere. ne forte, quae sunt ceteris praestantiora, a nobis, quod nihili ea putauerimus, praetermissa fuisse videantur. Quam valde igitur sanctum, quam laudabile,

bile, quam vtile consilium? quamq. idem praeter cetera commendandum, cum ãnimo adiecit, vt templum societatis I E S V *Collegio suo vnius aere, nemine in partem, & consociationem sumptus, qui infinitus erat, admisso; construẽdum, & exaedificãdum curaret. at cuiusmodi templum? Magnificentissimum sane, atq. amplissimum. quo nõ solum in tota Vrbe Roma, ac prope etiam in toto orbe magnificentius, illustrius, atq. operosius aliud non cernas; sed ne mente, quidem atq. animo, diligenti etiam, atq. assidua cogitatione adhibita, cõplectare. Quid? audacter dixerim, quod in Coelo collocaretur, dignissimum. Porro quis satis digne vmquam, vel rem tantam laudet, vel incredibilem eius in Deum, quae eum impulit, pietatem non dico, verbis exprimat; sed vel animo comprehendere, vel suspicione attingere possit? qui, licet opus illud eiusmodi esset, quod ex eius Aerario identidem magnam pecuniae vim promi, postularet: numquam tamen vllo, quamuis ingenti, sumptu est deterritus; quo minus rem, dum ad vmbilicum, quod dicitur, esset perducta, prosequeretur. Et quis hoc praeter* C A R D I N A L E M F A R N E S I V M *fecisset? hominem tanto magis, propter Deum ad effundẽdas pecunias alacrẽ, & impigrum; quanto magis. pleriq., qui, quia, quae Dei sunt, non percipiunt; ad easdem colligendas, vel natura propendent, vel ita insatiabili quadam cupiditate impelluntur; vt saepe toti penitus ea re obruti, ac demersi ius fasq. aspernentur: Deũ ipsum contemnãt: suã ipsorũ salutẽ pro nihilo putent. nec tamẽ auaritiã ipsi suã vmquã exsaturẽt. facilius enim Mare, si exhaustũ sit, aqua impleas; quã auarorũ pecuniae cogẽdae, qua flagrãt, expleas cupiditatẽ, et eorũdẽ, qua laborãt, sitim exstinguas. Quare sunt quidem permulti supra, quam dici possit, diuites, & pecuniosi, pecuniarum aceruos, & cumulos quotidie aceruis, cumulisq. maioribus augentes. dũ et diuitiarũ copia aurã captant popularẽ, & ea ratione in animis mortaliũ immortale nomen suum reddere conantur. ita autem pecuniam collocantes; vt appareat, quam de Dei gloria fuerint solliciti; quod talium virorum vnum maxime deberet esse studium, vbi sunt? nam his diebus profecto vbiq. terrarum videmus huiusmodi esse quampaucissimos. Perijt, perijt, atq. extincta est, quod non sine aliqua, vel, vt rectius loquar, magna animi mei commotione dico: perijt, inquam, summa illa Pietas in Deum. qua olim vigente, ex Christianis hominibus, qui tunc viuebant, non pauci reperiebantur; qui hoc idem, quod a Cardinali factũ est, quamlibentissime facerent; atq. id quidem multo alacrius, multo promptius, quam alia, ex quibus nec ad Deum honos, nec ad se certa vlla, & solida posset vtilitas permanare. Adeo erant illius temporis christiani, quam, qui nostra hac tempestate sunt, religiosiores, & diuini cultus longe studiosiores. Sed non huius, verum illius aetatis putauit Cardinalis homines, qui Deum ita coluissent, ac venerati essent; sibi esse imitandos: eodemq. tempore alijs praebendum exemplum, diuitias, si his forte abundent, ante, quam vitae munus expleuerint, gloriose, atq. vtiliter collocandi. Nã quid tandem vtilius? quid gloriosius,*

quam, quae à Deo abunde accepta sunt: haec ad Dei honorem hoc pacto conferre, ac suppeditare? Sed hoc studium, quo incensus Cardinalis priscae aetatis christianos in opere tam laudabili imitatus est, hodie in eorum animis, vt proxime annui, qui opibus abundant, videtur esse exstinctum. Cum tamen, si necessaria sit pecunia, quae ad alia efficienda subministretur; quam, quae ad Dei venerationem pertineant; saepe tanta eius vis, ac magnitudo solita sit expendi; vt res illa apud plerosq; magna non careat admiratione, & non raro is, qui eam ita insumit, dedecus aliquod, & hominis parum sapientis nomen, quod sane grauissimum est, non effugiat. Quo magis mihi in hoc genere videtur admirandus, & summopere laudandus Cardinalis: quod, quo tempore, quaq. aetate alij magis inhiant diuitijs congregandis, augendis, conseruandis: quod praesentia tantum, quaeq. oculis videntur, ament, suspiciant, amplectantur, de futuro nihil solliciti: ille tum cogitabat, quae sibi esset earum ad Dei honorem, & gloriam impendendarum ineunda ratio. O bonam mentem CARDINALIS FARNESII. *O animum eiusdem vere sapientem. O consilium longe sane omnium optimum in primisq. laudabile, addo etiam vtilissimum, & tali Principe, tanto Cardinali, vera, ac perfecta in Deum pietate imbuto, dignissimum. Eant nunc, qui sapientia tantum humana praediti, sibiq. de suis temerarijs consilijs, & factis, plus quam stultis placentes, ac blandientes pecunias vitae, labori, periculis numquam parcentes, coaceruant, maximis maiores: nec, quãtaecumq. fiant quotidie earum accessiones, vnquam eorum nimis auida expletur, atq. exsatiatur cupiditas. Eãt, qui in uanas res, easq. nimis inutiles affatim fortunas suas effundunt, dissipant, disperdunt. Deum immortalem, quantum eorum stultitiam, atq. insipientiam valde sapiens, valdeq. laudabile* CARDINALIS FARNESII *opt. mem. factum coarguit, quam leues eos, quam dementes esse ostendit? Recte hic, quid praeceperit* CHRISTVS *Dominus, exquisiuit. Rectius, quod ab eo praeceptum est, obseruauit. Rectissime, quod prohibuit; summo studio euitauit. Prohibuit autem condi thesaures. sed in terra condi, prohibuit, vbi nulla eorum potest esse securitas. Verum in coelo eosdem reponi, non prohibuit. immo vero, dum id vetuit fieri, hoc cuiq. quod fieri vellet, aperte mandauit. Quid enim melius? quid tutius? quid, quod & apud homines maiorem, & magis veram laudem, & apud Deum certiorem, & magis tutam afferat vtilitatem? nam non est haec, quam alij parum sapientes sequuntur, vera ratio augendi diuitias, & census cumulandi: vt opes semper reconditae, semper occultae habeantur: nec ad vllum necessarium, atq. honestum vsum, quacunq. re, seu caussa postulante, proferantur: sed ea, quã hic vnus praeter ceteros, praesertim temporibus his vel excogitauit; vel etiam in vsum, cum olim valde vsitata temporum iniuria, & hominum prauitate, ab vsu recessisset; sapientissime reuocauit. vt eis ad haec, & ad alia huiusmodi faciẽda vteretur. Nouit iam ille, & re apse experitur: quam sapienter, atq. ita, vt christia-*

num hominem,eundemq. dignitate praecellentem,atq. opibus redundantem decebat,ipse sibi consuluerit,quod hac,quam secutus est, eas ita collocandi delectatus sit ratione. nouit nunc optime,bona omnia non,si hac,& alijs huiusmodi pijs rebus expenderentur;sed,si non ita expenderentur,plane peritura. Reuera enim diuitiae,si conseruantur,pereunt;si ita impenduntur, fructum proferunt, multo copiosiorem,atq. vberiorem;quam bene cultis,& subactis agris, cõmendatae segetes,proferre,& progignere vel possint,vel soleant. Hoc enim Cardinalis,cum pro ea singulari, qua praeditus erat,prudentia cognosceret; &,qua munitus erat,fide christiana,crederet:nihil habuit carius,nihil antiquius;quã, vt eas & in his,& in eleemosynis pauperum CHRISTI *consumeret. vt,cũ, tanto opere construendo,se Deum diligere, & cultus illius studiosissimum esse, atq. in eo loco summam quotidie Deo immortali venerationem adhiberi cupere ostendisset:Proximi etiam amorem,quod e duobus diuinis mandatis, alterum erat;magnae sibi curae esse,non verbis,sed re ipsa demonstraret. Qua quidem re quid se,qui tantus nobilitate,tantus dignitate,tantus diuitijs erat, quid christiano homine poterat dignius facere? Nam,cum tam multa sint,quibus nos pro excellentia,& dignitate christianae huiusce professionis,curam,& studium impendere oporteat;habemus vna cum ceteris,quae sunt nobis imperata,de eleemosyna quoq., qua Proximi inopis necessitati, & penuriae subuenitur; singulare praeceptum. quam,qui non exercent,cum facultatum vis,id fieri, patitur: primum inhumani sunt:deinde parum etiam Euangelij praeceptis obtemperãt. ex quo hanc habemus doctrinam; vt,cum Deum dilexerimus, idq. re ipsa, factisq. ostenderimus:quod libentissime,splendidissimeq. Cardinalẽ fecisse,constat: mox ad Proximi amorem,qui ipse quoq. si plene, perfecteq. velimus legem obseruare,necessarius est;animum adijciamus:& bona etiam nostra ad eius vsum, vbi haec aliqua postulauerit necessitas,conferamus. A quo praecepto qui recedunt,vt probris,odio,& omni vituperatione, atq. improbatione sunt digni: sic,qui ei pro facultatibus parere student,in magna sunt apud Deum, & homines laude ponendi: nec sine caussa in magna, dixi, eos laude esse ponendos. etenim,quod homines omnium maxime solent amare, & in quo possidendo, retinendo,& conseruando magis conquiescunt;sic, vt non facile velint aliquid ex aceruo vel vrgente necessitate diminutum, vel imperante charitate detractum: in eo potissimũ ipsi sibi,nescio quo modo,vim inferũt. Quod iucundo, atq. hilari animo fecisse Cardinalem,vbi opem suam summae* CHRISTI *pauperũ egestati necessariã esse intellexit;oẽs vno ore praedicant,& res ipsa plane indicat. Audite,quaeso,quod non factum alias legitur, in quo titubet fides:sed oculis ipsis, qui sunt certissimi testes,multi viderunt. Nam ex Aerario suo,pecuniam eleemosynae nomine non tenuiter,non parce, non mediocriter; sed large, copiose, & abundanter promi, ac distribui iussit. quippe quattuor millia scutatorum quibusdam incredibili inopia oppressis, non diuersis temporibus, verũ*

vno

vno tempore, vnoq. actu. quod quidem notissimum, ac celeberrimum est. Hoc quia rarum est factu, magnum fortasse multis, ac prope incredibile videatur: sed non magnũ Cardinali, nec incredibile de eo fertur; qui non angustum, sed amplissimum; non auarum, sed liberalissimum; non sordidum, sed munificentissimum habebat animum, pietatem in Deum, & charitatem erga proximum maiorem hominum iudicio complectentem. Magnum videatur ijs, qui diuina, toto animo in diuitijs, & pecunia quodam modo sepulti, non intelligunt; nec cogitant. Cardinalis vt pote qui iam diu vnam Dei gloriam in omni re spectabat, vnamq. animo habebat propositam, quiq. Dei amore incensus inflammatusq. erat, parua haec, & minima ducebat: maioribus quotidie animo designatis. Nec mirum eam fuisse illius mentem. Etenim QVAE non amanti licet leuia, & facilia factu; grauia tamen, & difficilia sunt: eadem amanti, vtcunq. grauia, ac difficilia; leuia tamen, & facilia videntur. Quare hoc vnum singulari quodam studio, & mira animi propensione agebat quotidie. Atq. in hoc quidẽ genere cum non haberet, quicum certaret: &, quem, vt cupiebat, certando superaret. iam ipse secum huius tam magnificae, gloriosaeq. rei certamen instituerat. vt quae posterioribus temporibus faceret; haec ijs, quae prioribus fecisset, vellet semper esse maiora. Nam hoc quoq. obsecro, adhuc de eo magis mirum, & aeterna memoria dignum cognoscite: quod a morte illius scitum, & cognitũ est, & ab vrbe Roma egressum, iam paßim cum ingenti Dei honore, & Cardinalis laude commemoratum, celebratum, ac dißipatum: Eum Dei amore impulsum, semel decem millia scutatorum, Xenodochij cuiusdam extremae inopiae vt subueniret, dinumerari voluisse. Sic, sic agebat Cardinalis. sic ipse se se exercebat. ita in CHRISTI vinea laborabat. ita a CHRISTO quod liberalißime, cumulatißimeq. acceperat; CHRISTO item ipsi liberaliter, cumulateq. reddebat. Sed an putatis fortasse christianam illius pietatem, & summum eiusdem summopere ad hoc genus propensum studium, intra huius, quam proxime dixi, pecuniae numerosißimae quasi terminos, ac cãcellos potuisse se se continere? nolite, nolite id putare. vt enim, qui alicui nefario sceleri se se dediderunt, non semel, sed pro ea incredibili, qua ad illud impelluntur, ac rapiuntur cupiditate, saepius id committunt: sic, qui virtutem, quã colat, &, qua oĩum maxime delectetur, vnam ex animo, vereq. complexus est; in ea exercẽda, atq. excolenda numquam defatigatur: sed, quo est illius actio frequentior, ac crebrior: eo desiderium eius excolendae maius accenditur. Itaq. putauit, se quod vero christiano, & nomine suo celeberrimo dignum erat, minus facturũ, si sibi tam angustos huius tam christiani, tam sancti, tam diuini operis, quo CHRISTVS in pauperibus suis alitur, fines praescripsisset. Quocirca non ea pecuniae magnitudine in pauperes eleemosynae ergo diuisae, quae numerum quattuor millium scutatorum adaequaret; non ea, quae decem millia complecteretur; ipse sibi, animoq. suo studium christianae pietatis aßidue meditanti satis-

 fecit.

fecit. Sed multa etiam millia scutatorum cum ad alia pia opera, tum ad redimendos captiuos, qui in Turcarum, aut aliarum barbararum gentium potestate detinebantur, non grauate contulit. idem illud etiam, quo tempore grauissime aegrotabat, secum ipse constanter facere cogitãs; si vitae spatiũ ei adhuc paullo longius fuisset concessum. Sed nec ista, tanta, tamq. ampla, liberalitate vsus conquieuit, non ita se tamquam circumscriptum tulit; verum extra terminos hosce egressus est, animo eius pro sua magnitudine, atq. amplitudine quotidie ad his maiora, atq. ampliora adspirante. Nam non desunt, qui graui oratione affirment, ac testentur: eum commiseratione erga pauperes vsq. eo affectũ fuisse; cum eos extrema quaeq. patientes animaduerteret; quorum se habitu CHRISTVS *latiturum dixerat; vt scutatorum triginta millia ex suis reditibus in eorũ vsus singulis annis diuidi, ac distribui voluerit. Qua humanitate, si hominem respicias; vel pietate, si Deum attẽdas; vel commiseratione, si proximum egentẽ spectes; non videas, quid maius, quid splendidius, quid honorificẽtius dici, aut excogitari possit. Nec mirum, cum liberalitas virtus sit omnium excellentissima, partim quod moralis est, cuiusmodi in primis homine digna est; partim diuina, quod de illa ab omnibus quidem, sed praesertim a diuitibus exercẽda à Deo praeceptum habeatur. & recte. nimirum, quod efficiat; vt ad Dei similitudinem, eum hoc genere imitantes, proxime accedere possimus. nam ex illis duobus, quibus philosophi nos, tamquam deos mortales effici posse ostenderunt, hoc unum est, vt bona nostra cum alijs, quam liberalissime fieri potest, communicemus. nõ enim dubium est, quin ex ea re liceat nobis quamplurima in hac ipsa vita sperare, & exspectare a Deo immortali. ac, quin etiam fas sit, cum breuissimam vitae huius peribodum clauserimus; vitam illam beatissimam, ac felicissimã adipisci, non sinunt nos euangelica promissa, certissimis quibusq. rebus certiora, dubitare. Quod cum prae oculis assidue haberet Cardinalis, non opes tantum suas, sed vitam millies si opus fuisset, pro Dei honore, & gloria profudisset. Hac tam admirabili munificentia nescio, an maius aliquid nascentis Ecclesiae initio, vel ijs etiam, quae proxime secuta sunt, temporibus legatur a magnis illis viris factum fuisse. quibus, quod impigre Dei consilijs, & voluntati obtemperarent; nihil prius erat cultu assiduo virtutum christianarum. Patet D. Gregorium, magnum illum Pontificem, quotidie aluisse pauperes: idem D. Ludouicum, Gallorum Regem, factitasse, notum est. Legimus praeterea alios eadem ratione, & studio mirum in modum fuisse delectatos. Sed, si respiciamus, ac perpendamus, quod Cardinalis faciebat, cum huiusmodi genere rerum, magnis illis viris nõ inferiorẽ fuisse, statuemus. Quam ob caussam satis cõstare potest. nemini mirũ videri debere, si Roma vniuersa, si Parma, si Placentia, si Italia tota mortẽ eius ita defleuit, ita est maerore paene immoderato prosecuta: si, (dicã, quod mihi videtur, vere dici posse) fere cunctus Orbis in maestitiã, & luctũ, quod de hac vita tãtus vir, tam bonus, tam pius, tã misericors decesserit, est trãsductus, atq.*

conuer-

conuersus: si; vt ad ea, quae Romae facta sunt veniam; Pauperes, quorum assidue inopiam, plura in diem elargiendo subleuabat, querulas, & maestas, dum funus efferebatur, voces edebant facile ad fletum, & ad complorationem non homines solum, humanitatis participes; sed muta etiam, & vniuersa ab humano sensu, & indicio aliena prouocaturas, dum saepius haec verba: Heu Pater pauperum perijt; Heu perijt pater pauperum, & alia his non dissimilia, clara, & queribunda voce repetendo copiosissimas lachrymas, & singultus quam creberrimos sibi, itemq. alijs, qui aderant, funus prosequentes excitabant. aderant autem, & prosequebantur tam multi, ordinis non solum infimi; sed etiam supremi; non ignobiles modo, & plebei; sed nobilissimi, atq. illustrissimi; ijq. tam densi, tam crebri, tam frequentes; vt nulla aetate, nulla memoria hominum rei alicuius vel maestae, & luguoris; vel laetae, & iucundae euentu, a condita Vrbe quidquam simile factum, aut auditum fuisse permulti admodum fide digni, magna asseueratione affirment. Quod nos quoq., si Annales legerimus, absq. dubio certius, planiusq. cognoscemus. Quamobrem, cum talis vita, tam honesta, tam virtutibus exculta, tam demũ christiana ei summae curae fuerit; cum tales ab eo tã mirificae, tã laudabiles Dei, & hominum oculis vehementer probatae, ad extremum vsq. vitae diem sint exercitae virtutes; cumq. ecclesiasticis sacramentis, quibus morituri christiani muniuntur, rite munitus, & Summ. Pontif. benedictione per vnum Cardinalem e maioribus auctus, diem suum obierit: quid? nonne pie credere debemus, eum ita hinc quasi ex angusto carcere discessisse, ita humana haec reliquisse; vt iam in amplissimum illum aeterni regni locum Dei consensu, & voluntate ingressus, diuinum illud praemium, christianis eius non paucis, & multo maximis factis diuina lege debitum, felicissime sit consecutus? vt, quos, pijs huiusmodi rebus agendis, secutus est: coniunctim cum illis aeterna illa felicitate, & felici aeternitate perfruatur? Par est enim, cum in gloria sempiterna vna cum illis consociari, qui se se ab eisdem in rebus, factisq. christianis, dum hic viueret, non dissociauit. Hoc autem ei ita feliciter euenisse, mihi quidem valde fit verisimile. quia Deus, vt scelera vlciscitur; sic cum is sit, qui numquam passus fuerit, sibi a quoquam gratis inseruiri; recte, & ad honorem eius quae facta sunt, praemiorum etiam maiorum, quam, quae illa promerita sint, non patitur esse expertia. Quod, si hic magno amissus est dolore, iam non debet esse cuiquam dubium, quin eo magna admissus sit iucunditate: &, si nos hic degentes relinquens tristitia affecit; at in coelum ingressus, aeuo beato fruentes laetitia repleuit. vt in patriam rediens peregrinus ijs, qui in patria viuunt, propinquis, amicis, & alijs summum gaudium solet afferre. Qua propter satis iam luximus: lachrymis satis indulsimus: & merito sane. homine tanti splendoris, tanti honoris, a quo tot, tanta, ac

tam

tam varia ad omnes commoda, atq. emolumenta manabant, amiſſo. Sed, quando recte perſuaſum omnes habemus, id non culpa fortunae, non caſu, non ſorte; ſed Dei voluntate factum eſſe. cuius mos eſt, vt hominum commodis ſemper, & maxime piorum, conſulat; eſt profecto, quamobrem iam gaudeamus: praeſertim cum praeclare iam cum eo ſit actum. qui nunc demum, vt credimus, Portum illũ ſecurus teneat, quo nauim ſuam, vt ſapiens Gubernator, vita hac dum frueretur, ſemper direxit. ne, ſi vltra forte, quam par eſt, & ratio praeſcribit, luctum eius cauſſa protrahamus, ac prorogemus; non tam aliud quiduis, quod magni aeſtimemus, lugere; quam, quod ita agendo, &, quo more chriſtiani ſolent, moriendo conſecutus eſt; ſummum bonum ei inuidere videamur.

DIXI.



ANDREAE GVIDETI de Herculiano Monicio.

CARMEN.

DIVVS ALEXANDRVM calamo num ſcribit Homerus?
Aut qui ſe ſuperans, arma virumq. canit?
An illi? quorum commota eſt curia verbis,
Graecia quos plures, Romaq. ſancta tulit?
Non etenim. Herois doctiſſimus Herculianus
Sermone hoc laudes exprimit innumeras.
Magnum magna decent. magno laudandus ab ore
Magnus ALEXANDER nomine, maior ope.

IN AMPLISSIMI CARDINALIS FARNESII obitum eiuſdem Andreae Guideti. Carmen.

PVRPVREI ſanctiq. patris quis dicere laudes
Carmine vel poſſet concelebrare decus?
Nam, dum trans metas virtutem ingentibus actis
Extendit, videas claudere vocis iter.
Qui candore animi vertentes egerit annos,
Et lance aequarit diſſona corda pari.
Purpureos monerit Tyrio velatus amictu
Pectore maturo munia obire Patres
Ante graui in luctu quam totum linqueret orbem:
Et ſedes caperet ſanctior aethereas.
Quem maeſtae ad Tybris deflerunt flumina Nymphae
Roma nec ornatas dilaniata comas.
Et qui ſuccreſcunt gemini, cariq. nepotes,
Atrati aſſidue clamq. palamq. dolent.
Vberibuſq. oculis lacrymarum flumina mittunt,
Illacrymant patruum decubuiſſe ſenem.
Cuius facta cluent, operoſaq. gloria rerum,
Quae manet, atq. auidos effugit vna rogos.

Fletib.

Fletib.auxit aquas,amiſſo maeſta parente
　PARMA ſuas, tundens pectora nuda manu.
Antiquum ingeminans luctum,duplicanſq. dolorem,
　Vulnere adhuc veteri pectore ſub tacito.
Effudit lacrymas, qua clarum ſurgit eoo
　Littus ad occiduum, diſſona turba pias.
Et quicumq. animum, ſtudio vincente laborem,
　Virtute exornat Palladis auxilio.
Suſtentauit aquas,curſus compreſſit equorum.
　Rex Ponti,&.toto proluit amne rogum
Sacra cohors Phoebi cineres collegit, & oſſa
　Aurato,mirum,condere viſa cado.

FINIS.



PARMAE.

Cum licentia Superiorum.